



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXVIII. Differentia 1. Pactum nudum Iure Canonico obligationem, &
actionem parit,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

TITVLVS IV.

De pactis & obligationibus.

Conventionum, pactorum & contractuum, quibus hominum necessitas vel cupiditas quotidie exercetur, tanta est, ut illorum finibus regundis operam & studium sacri & profani præfides impenderint, Quod dum sedulo urgent pro diversitate rerum ac circumstantiarum, alias atque alias observationes annotarunt, ex quibus multæ oppositiones & differentie enatæ sunt.

XXVIII.

DIFFERENTIA I.

Pactum nudum Iure Canonico obligationem & actionem parit, c. 1. & 2. de pact. Secus Iure civili, l. Iurisgenium, ff. de pact. l. legem, C. eod. Bart. 70. Ioan. Bapt. à S. Blasio 3. Galv. 67.

I. **P**actum nudum vocamus, quod neque nomen certum, neque præsentem, & subjectam negotii gerendi causam habet, neque scripturâ, stipulatione, juramento, aliove modo conuultitur, sed solâ conventionem, & placito constat, l. Si tibi, C. locati, l. Divisi me, C. Famil. herisc. c. Pactum, de verb. signif. Talis est omnis contractus innominatus, antequam ex altera parte sit impletus, nisi accedat formula stipulationis, vel juramentum. Item omnis contractus, qui re perficitur ante rei traditionem, ut donatio, mutuum, & similia. v. Gomez. l. 2. c. 9. n. 2. Comitol. de Contrad. par. 2. c. 23.

De hoc genere pactorum Iure civili dicitur, non parere obligationem,

estque communis DD opinio. Rationem dant, quia leges, quamvis non resistant ejusmodi pactis, neque irritent, actionem tamen negandam censent, ne litium multitudo atgeatur: imò permittunt rescindi, si quando peniteat, etiam alterâ parte contradicente, quamdiu neutra ex parte completum est. Quod si ab una parte completum est, licet nihilominus penitere illi, vel alteram partem cogere ad implendum, l. Si pecuniam, ff. de condit. causa data, l. 1. ff. de rer. permut.

II. In foro conscientie autem, & secundum Canones id nequaquam permittitur, sed utraque pars ex pacto etiam nudo obligatur ad observationem. Quæ veritas primò ex multis

E 3

sacra-

sacrarum literarum testimoniis confirmatur, quæ dicta cum mente, & mentem cum dictis congruere præcipiunt. *Zacharia c. 8.* Veritatem & pacem diligite. *Proverb. c. 3.* Misericordia, & veritas te non deserant. *Et c. 8.* Veritatem meditabitur guttur meum. *Item 12.* Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Osee c. 4.* Indignatus Dominus, quia non est veritas nec scientia in terra. Denique dolosa corda, fallaces linguas, & fraudulenta ora detestatur Deus, & ulciscitur. Nemo igitur sibi nudis pactio- nibus blandiatur, & concessum sibi arbitretur promittere, quod velit, & non servare, cum voluerit.

Secundò idem à SS. Patribus ingeminatur. *S. Aug. in ps. 39.* illa verba edifferens: *Holocaustum & pro peccato non postulasti.* Tamdiu, inquit, quisque promissor est, donec det. Nunquid hoc permittit promissori, ut sit semper promissor, & nunquam liberet fidem suam? Nihil minus. *S. Thom. in 2. 2. Q. 100. ar. 5. ad 5.* pronunciat eum infideliter agere, qui aliquid promittit, & postea mutat animum suum, ne id faciat, nisi forte mutata sint conditiones personarum, & negotiorum. Idem in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. docuerat, cui assonat *Richard. Antonin. & Cateran. in 2. 2. q. 113. art. 1.* ubi dicit: Violare fidem procul dubio peccatum est. Nam ex qualibet promissione homo obligatur in foro conscientie ad verificandum dictum suum, hoc e-

nim naturalis ratio dicat, quòd oppo- situm ejus manifestè noceat humane so- cietati. Adde Domin. Soti dignum Theologo effatum l. 7. de iust. Q. 7. ar. 1. universarum gentium existimatio est fidei violatorem veluti scelestum hominem execrabilem esse. Vox autem publica vox natura est, ergo sub ream mortali obligat.

III. Nec legum civilium universalis doctrina est nudis pactis obligationem adimens, admittunt enim obligare primò pactum inritum cum expressione causæ. Secundò dotis promissa pactum excipitur, l. *Ad exactionem. C. de dot. prom.* Tertiò pactum, quo promittitur Titio solutorum, quod ipsi jure debet. Illa denique, quæ specialiter Ius vult æquivalere vestitis, cujusmodi est donatio, quæ à promissione acceptata incipit, nondum factâ traditione, l. *Si quis argentum, §. ult. C. de donat. Molin. disp. 255.* & secundum aliquos pacta geminata & juramento confirmata. *VV. ding. Disp. 1. dub. 2. §. 3. Covar. in 6. Quæritis pactum, Par. 2. n. 24. Bronchus. Centur. 1. assert. 39. Less. c. 17. dub. 4. Barbof. in prætermiff. c. Antigonus, de pact. Fagundez l. 1. disp. 25.*

Tanner. III. D. 4. Q. 7. D.

I. n. 6. Vallens. l. 1.

Tit. 35. §. 2.

* *